

Alte Drucke

Epistola Martini Lutheri Ad Joannem Hontervm Reformatorem Coronensem in Transilvania nunquam hactenus publice visa, jam vero primum ex autographo ...

**Struve, Burkhard Gotthelf
Schmeizel, Martin**

Jenae, 1712

VD18 1518708X-003

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-174481



VIR MAGNIFICE
ATQUE
EXCELLENTISSIME.



QUam primū publico eoque
exoptatissimo perciperem
nuntio, TE ex Collegio Pa-
trum Academiae conscripto-
rum, unanimi eorum voto
& suffragio Imperii Acade-
mici fasces atque purpuram suscepisse, statim &
affectus Tui in me singularis, & officiorum er-
ga TE meorum ratio exigere videbatur, ut in-
ter aliorum votivas acclamations, meam

quoque voluptatem animique affectum publico quodam argumento quantocyus testarer atque declararem. Nec deerant hujus instituti causæ præcipuæ & prægnantes. Cum enim totos jam undecim annos propter singularem optimarum artium Doctrinam cum egregiis virtutibus conjunctam, summo Te studio colam, eoque temporis spatio liberalem in me atque beneficum sæpenumero sim expertus, igitur grati animi tesseram atque redhostimentum publice jam demonstro, id quod exoptatissima hac occasione sine maxima ἀχαρισίας nota intermitteri a me vix poterat. Quare ut ad prima redeam, non eo solum nomine Tibi gratulor, quod in amplissima constitutus sis dignitate: hoc enim cum multis aliis commune Tibi esse optime novi, Teque pro singulari Tua Sapientia in momentanei honoris insignibus parum ornamenti ponere, sed quod in eum dignitatis gradum ascenderis, unde præclarum eruditionis ac prudentiæ Tuæ Lumen ab omnibus clarius conspici, & quamplurimis ad veræ virtutis semitam prælucere poterit. Versantur enim in animo Tuo cogitationes egregiæ, scilicet

cet eam demum veram rationem grassandi ad immortalitatem esse, virtutem in seipso expectere, ad pacatæ vitæ usum actiones suas dirigere, consulere omnibus, errantes prudentia in viam reducere, negotia caussarum bonitate componere, ac velle denique eminere inter homines beneficentia potius quam potestate. Testor ego hac de re publicam famæ conscientiam; Testor Doctissimorum hominum fidem, qui florentissimæ huic Academiæ operas suas condixere eruditioneque celebrata vel apud externos etiam præcellunt; Testor omnes bonos, qui ex ore Tuo dependent, utpote quibus non litigandi cavillandique viam, sed Justitiæ & Æquitatis scita, Artiumve bonarum studia felici successu explanas atque demonstras, Testor denique eos qui familiarius Tecum vivunt, illos scilicet, quibus de vitæ Tuæ innocentia, juvandi promittuntur, ac rara compositæ mentis in utraque fortuna moderatione satis superque constat. Quamobrem cum ita Tibi propria hæc bona sint, nulla plana subit animum miratio, quod Senatores Conscripti justis inducti rationibus Tibi in splendidissimum Academiæ Senatum

cooptatō amplissimam PRORECTORIS dignitatem quasi debitam exsolvere viderentur. Ast vero cum in isto honore pondus & laborem esse sciam, inque eam quam nunc sustines personam virtutes omnes atque ita cadant, ut si absint, is qui honor est, honor esse desinat, imo sit summa deformitas, in nostris autem viribus non sit, velle aut perficere bonum, igitur Deum T. O. M. a quo omne bonum procedit, supplex oro atque precor, ut TE VIR MAGNIFICE, in hac qua constitutus es provincia necessariis instruat donis, omniaque Tua consilia eo dirigat, ut vergant in honorem Numinis altissimi, civium Tuorum emolumentum, Nominique Academiae saluti atque ornamēto; Regimen vero Tuum jubeat esse quam felicissimum, faustissimumque.

Atque his poteram nunc gratulationem hoc loco claudere. Verum enim vero ubi TE Magnificum Academiae PRORECTOREM jam primum constitutum, prima vice alloquor Parthorum morem sequi bene mihi visum fuit. Apud hos enim cum nemo quisquam Regem *sine munere* salutare poterat, pari ratione & mihi

hi civi, TE PRORECTOREM gratis compellare non licet. Quid vero istud? An Arabiae felicitas divitias, vel maximas Macedonum Gazas expectas? Minime, hujus enim generis muneribus me protinus destitutum esse optime TIBI perspectum. Sed literarium ecce & charactaceum aliquod offero munusculum, ut Tuæ ita & meæ personæ convenientissimum. *Epistolam* dico quandam *b. Martini Lutheri* Germaniæ Reformatoris, ad *Joannem Honterum* Coronensem in Transilvania Reformatorem, quam ex autographo bona fide descriptam per aliquot annos inter *κειμήλια* supellectilis meæ librariæ summo studio atque cura asser-vavi, nunc vero commodissima hac occasione publicæ luci expono, Honoriq̃ Tuo Sacram esse volo. Quod tenue quidem sed gratissimo ex animo profectum munus, æqui bonique Tæ consulturum vel ex ea spero ratione, quod hocce instituto TE Præceptorem meum honoratissimum sequi voluerim, quippe qui optimo consilio, maxime Reipublicæ Literariæ commodo per aliquot jam annos *Acta Literaria ex MS&is eruta* in publicum emisisti. Interim nec aliis
hoc

hoc meum displicere poterit consilium, quibus compertum est, quam maximo orbis literati commodo, ineditæ virorum Doctorum Epistolæ in lucem protrahantur publicam.

Ante vero quam dictas b. *Lutheri* Literas hætenus ineditas in medium produco, e re visum fuit, pauca quædam de *Joanne Hontero*, religionis & honestarum disciplinarum in Transilvania restauratore commemorare, ut eo majus huic rei accedat lumen. Vitales itaque auras hausit in urbe Transilvaniæ *Corona* (*), ut civium ita & mercaturæ splendore omnibus hujus Principatus urbibus palmam eripiente, Græcis *Stephanopolis*, Hungaris *Brasso*, germanis vero incolis *Gronstadt* dicta. Jactis in Patria studiorum fundamentis, primum in A-

(*) Ex his facile liquet, quam turpiter *Simon Staravolscius* erraverit, quando in *Scriptor. Polon. Hecatontade* pag. 57. Honteri Patriam Coronam in *Borussia* collocavit. Plura interim qui de Hontero nostro ejusque scriptis cognoscere avert, sequentes is evolvat scriptores, *Michaelem* scilicet *Neandrum* in *Orbis Terra succincta Explic. pag. 130. Eundem* in *Nili Episcopi Preceptiones de vita pie exigenda. Josiam Simlerum* in *Bibliotheca. Davidem Chytraum* in *Oratione de Statu Religionis in Græcia, Asia &c. pag. 32. seq. M. Georg. Haner Hist. Eccl. Transilv. Lib. IV. p. 193. Et ex iis Zvvittingerum* in *Specimine Hungariæ Literatæ.*

cademiam vicinam *Cracoviensem* se contulit,
 ubi moderatore *Jo. Arundinensi* studia Acade-
 mica gnaviter tractavit. Cracovia deinde re-
 lecta, *Joannis Reuchlini* fama accitus *Basileam*
 contendit, ubi multos annos insigni tum sui ipsi-
 us, tum maxime Patriæ bono, vario studiorum
 generi solertissime impendit, cujus deinceps lu-
 men evasit nequaquam vulgare. Inter prima
 vero illud præsertim meretur referri, quod eo-
 dem quo *Basileæ* degebat tempore luminis Ev-
 angelici radiis illuminatus fuerit. Ex quo fa-
 ctum, ut quamprimum Anno 1533 in patriam
 redux fieret, summa cura atque animi conten-
 tione in id incumberet, qua ratione Reforma-
 tionem dogmatum Pontificiorum posset insti-
 tuere, typis simul & typographis secum addu-
 ctis; Quod laudabile propositum Divino auxi-
 lio tam feliciter ei successit, ut brevi tempore pro-
 priis sumtibus officinam erigere posset, eamque
 necessariis libellis maximo totius *Transilvaniæ*
 bono, instrueret. Quo facto animos incola-
 rum ut mansuetiores ad addiscendas disciplinas,
 ita&faciliores ad amplectendam cœlestis veritatis
 doctrinam reddidit; erecto quoque in urbe patria
 B Gym-

Gymnasio Academico, quod hodiernum adhuc magna studiosorum frequentia floret, nec non Bibliotheca optimis libris refertissima, condita atque instituta. Quam tamen Anno 1689. una cum locupletissimis augmentis quæ ex dissipata Regia Budensi acceperat, famosissimo illo incendio penitus periisse, tristi cheu! recolimus memoria. Interim his ut dixi mediis, ministeriove Joannis Honteri primum Coronæ, & paulo post totius Tractus Barcensis Ecclesiæ, Doctrina Evangelica imbutæ, inque castra Lutheri pertractæ fuere.

Ne vero gratis hæc a me videantur dici, produco nunc TIBI *Vir Magnifice* hoc loco munusculum Honori Tuo consecratum, *Epistolam* scilicet Lutheri jam memoratam, ex qua de Ministerio Honteri liquido nobis constare potest. Ea vero ita se habet:

Gratiam & Pacem.

Scribis mi Hontere dedisse Te ad me literas, sed nescire an istis periculosis temporibus redditæ sint. Scias autem esse redditas, simul incluso nummo aureo, effigiem Theodosii habente, quem scripsisti mihi donatum a Præfecto seu Judice vestrate

strate in memoriam sui: cui voce mea gratias
 agas oro. Ceterum de statu Ecclesie & Religio-
 nis apud vos paulatim proficiente laudo Deum
 Patrem Luminum, a quo omne bonum procedit,
 & precor, ut augeat vos & benedicat omni bene-
 dictione spirituali Amen. Non deerit vobis
 morsus serpentis, nam sic scriptum, sic dictum ab
 initio, sic futurum est ad finem, ut inimicitias
 inter semen serpentis & semen mulieris statua-
 mus. Aliter non habet, nec habere potest Eccle-
 sia vera Dei. Solatium est autem nostrum,
 quod victoria semper est penes conterentem con-
 tra mordentem, sicut scriptum est: Ipsum conte-
 ret caput tuum. Recte igitur facies, recte sta-
 tues vigilandum vobis esse contra hostes exter-
 nos, & lupos vicinos ac domesticos, hi sunt den-
 tes serpentis & quidem molares ut Propheta ait.
 Sed occupatissimus sum, jam senex & effetus,
 qui requiem quidem opto meritam (ut puto) sed
 parum succedit votum. Ideo si brevius scribo,
 aut si non respondi antea, ignosces velim. Do-
 minus sit tecum & cum omnibus Tuis. Amen.
 Dominica Cantate Anno 1544.

Martinus Luther D.
 D. M.

D. M. Philippus abest in Thuringia.

Inscriptio vero ita sonat:

*Venerabili in Christo Viro D. Johanni Hontero
Coronensi, in Hungaria Evangelistæ Do-
mini, Fratri suo in Domino
charissimo.*

Atque sic deposito hocce in templo Ho-
noris ad aram gratitudinis defæcato munuscu-
lo, peracta denique etiam votiva gratulatione
sinceri mei affectus nuntia, bene TE *Vir Ma-
gnifice* valere jubeo, Reique nostræ publicæ ut
feliciter præsis, diuque prosis, largitorem vale-
tudinis omniumque bonorum, devota mente
precor atque obsecro. Vnum adhuc abs TE
petens ut qualecunque hoc officiolum, sinceri
erga TE affectus mei, perpetuum sinas esse testi-
monium, meque atque studia mea porro
TIBI habeas commendatissima. JENAE
ipsis Nonis Februariis A. R. S.
M. DCC. XII.

